

contentus episcopus, si vicarius generalis ipso inscio conferret alicui pinguem parochiam, vel beneficium, etsi prius ei omnem suam delegasset potestatem, illo pluribus quidem solito, minus tamen recto delegandi modo: « Do tibi omnem meam potestatem etiam ad illa, quæ speciale mandatum requirunt; » quod evidens signum est, vi talis clausulæ generalis, episcopi vicarium generalem non posse omnia, quæ requirunt mandatum speciale.

41. *Sed requiritur speciale: et quomodo? Observatio practica.* — Volunt proin, et merito præfati doctores, episcopum, qui vult tribuere vicario suo generali omnem suam potestatem, debere saltem aliqua exprimere, quæ requirunt speciale mandatum, addita dein clausula, et omni alia: quod, ubi episcopi aliqui in jure forsitan minus experti non faciunt, ipsi vicarii generales urgere, et monere debent: idque ad vitanda plura nullitatis pericula, et quidem specialiter circa dispensationem impedimentorum; utpote ex qua semper dependet valor sacramenti matrimonii, adeo, ut, a parte rei nullum foret, consequenter contrahentes in continuis fornicationibus saltem materialibus, et aliis sacramentalibus ad sustinenda matrimonii onera summe necessariis destituti existerent, casu quo hujusmodi concessio generalis n. 39, allegata, jurisdictionem vicario generali non tribueret, prout supra citati doctores volunt. Ad quæ vitanda, et legitimam delegandi formam adhibendam, cum nulla difficultas interveniat, nec labor, nec expensæ requirantur, utique episcopi, vel vicarii generales muneri suo non deerunt. Quid enim facilius episcopo, quam pro dispensatione matrimoniali v. g. sequenti, vel simili delegationis forma uti? « Concedo tibi etiam dispensandi pro foro interno super impedimentis matrimonii in casibus urgentis necessitatis omnem potestatem, quam ego habeo: item etiam pro foro externo in dictis impedimentis dispensandi eandem potestatem, quam ego ex privilegio, et speciali facultate a Papa habeo: item communico tibi etiam reliquas facultates a Papa mihi specialiter concessas. » Item, quid facilius vicario generali, si episcopus id non observaret, quam illum monere, vel interrogare: « Reverendissime et celsissime domine, estne tuæ celsitudinis intentio mihi etiam dare facultatem dispensandi super impedimentis matrimonii, quæ

celsitudini jure ordinario, et ex privilegio competit? etc. » Hæc, amice lector, non sine causa dicta sunt.

§ II.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD HOC, UT EPISCOPUS, SECLUSO PRIVILEGIO, DISPENSARE VALEAT PRO FORO INTERNO SUPER IMPEDIMENTIS OCCULTIS, JURE ECCLESIASTICO MATRIMONIUM DIRIMENTIBUS.

42. *Status quæstionis proponitur.* — Uti ex terminis rubricæ patet, non loquimur hic de potestate dispensandi, quæ competit episcopo vi privilegiorum pro foro etiam externo juxta dicta n. 22, sed de ea, quam habet pro solo foro interno urgente necessitate in casibus et impedimentis occultis juxta dicta n. 15, ubi certas ad eam conditiones requiri diximus. Pro quarum majori cognitione specialis ponitur § præsens. Itaque.

43. *Ut episcopus secluso privilegio dispensare valeat, requiritur I. Ut impedimentum sit occultum.* — Quæritur I. An? et qualiter impedimentum debeat esse occultum? Resp. I. Omnino requiritur, ut impedimentum sit occultum. Fagnanus, in c. *Nimis de Filiis Presbyt.* n. 33, Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, n. 137 et seqq.; Barbosa, *de Offic. et potestat. Episc. Allegat. 24. de Reform.*, cap. vi, Sanchez, lib. II, *de Matrim.*, disp. 40, n. 3. cum communi et certa aliorum. Ratio est; quia ideo potissimum dispensare valet episcopus, ut evitetur publicum scandalum ex separatione secutorum, eo quod v. g. jam proles sit concepta, aut unus conjugum solus sciat impedimentum, illudque absque famæ jactura detegere nequeat; vel si alter etiam sciat impedimentum, tamen probare nequit etc. arg. a simili in *Concil. Trident. sess. 24 de Reformat.* cap. vi. Hæc autem ratio cessaret, si impedimentum esset publicum; imo potius esset scandalum, si impedimento existente publico conjuges simul manerent; cum auctoritate publica facile separari possent, et deberent, uti bene observat Fagnanus, loc. cit.

44. *Quando dicatur occultum? Quod quinque tantum sciunt, occultum est.* — Resp. II. Impedimentum tunc censetur occultum, quando vel omnino secretum existit, ita ut nulla ratione probari valeat; vel si quidem

scitur ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen periculum est, quod ulterius publicetur. Sanchez, lib. II, *de Matrim.*, disp. 40, n. 11; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, n. 138; Barbosa, ubi supra n. 11; Henriquez, lib. XII, cap. x, n. 1 et 2, et alii. Ratio est; quia illud de jure adhuc censetur occultum, quod pluribus, quam quinque nondum est notum in aliqua vicinia, collegio, vel parochia, cujus communitas decem saltem homines in se continet. Nam, ut ait Glossa communiter recepta in can. *Manifesta.*, cau. 2, q. 1. *Occultum dicitur, quod quinque sciunt*, et § *Non sunt hæc, de Penitent.* dist. 1. §. *Secreta.* eadem Glossa probat, « secreta esse, quæ fiunt in præsentia quinque, » prout etiam infra, lib. V, tit. I, magis demonstratur.

45. *Nisi sit periculum publicationis.* — Ad dicitur tamen in conclusione, et nullum periculum est, quod ulterius publicetur; hoc enim ubi rationabiliter timetur, jam episcopus dispensare nequit, etiamsi præter impedimento laborantem, unus tantum, vel duo scirent; quia quancumque rationabile adest periculum, quod impedimentum evadat publicum, etiam periculum est, quod matrimonium occulta dispensatione valide contractum, majori cum scandalo iterum separari debeat; cum dispensatio pro foro interno ab episcopo facta, in foro externo prorsus non attendatur, eaque non obstante matrimonium ab ipso etiam dispensante episcopo separari deberet, casu quo impedimentum evaderet publicum. Bosco, Sanchez, et Barbosa, loc. cit.

46. *Unde debet attendi, quibusnam personis, et quot illorum notum sit impedimentum.* — Hinc in praxi omnino attendi debet, non tantum quot personis, sed etiam qualibus impedimentum sit notum, quia bene fieri potest, ut respectu quinque prudentum, et timentium Deum, qui impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis, et e contra respectu duorum vel trium, v. g. garrulorum, aut inimicorum, etc. divulgationis periculum revera adesse videatur, præsertim, si etiam aliæ circumstantiæ tale periculum minentur.

47. *II. Requiritur gravis causa, seu magna necessitas.* — Quæritur II. An? et qualiter requiratur gravis, seu magna necessitas? Resp. Omnino necessaria etiam est gravis causa, seu magna necessitas, qualis esse censetur: si conjuges absque scandalo, vel

sine jactura famæ, vel præjudicio proles, aut gravi incontinentiæ periculo separari amplius nequeunt; prout plerumque non possunt, si impedimentum provenit ex copula fornicaria prius cum consanguinea conjugis habita; vel si jam adsunt una vel plures proles; vel si invicem ita sint inamorati, ut vel separari prorsus nolint, aut separati sine reditu ad vomitum non manerent; vel si matrimonium in facie Ecclesiæ fuit contractum, et impedimentum ita occultum, ut probari nequeat, consequenter separari, vel ad alias nuptias transire non permittantur etc. Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, num. 13; Henriquez, lib. XII, *de Matrim.*; Diana, p. 11, tr. 8, Resolut. 3; Gobath, in *Theolog. Experiment.*, tr. 9, n. 578. cum communi aliorum. Ratio est; quia sicut concurrente una ex dictis necessitatis causis potestas dispensandi censetur tacite concessa episcopo, exigente id munere episcopali, juxta dicta n. 15. sic cessante necessitate eadem potestas censetur episcopo adempta, utpote, qui contra sacros canones dispensare non potest sine magna necessitate vel evidenti utilitate Ecclesiæ; ut fuse ostendit Fagnanus, in c. *Nimis de Filiis Presbyt.* arg. can. *Etsi illa* cau. 1. q. 7. ibi: « Quæ nec ulla necessitas, nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas: » cum concordant. Imo episcopi præ cæteris ad observantiam sacrorum canonum tenentur, qui propterea etiam vocantur custodes canonum, et magistri, can. *Cum quibus*, 36, cau. 24, q. 3.

48. *Nec sufficit quævis causa alias ad dispensandum in foro externo sufficiens.* — Inferitur proin, ad hoc, ut episcopus pro foro conscientie dispensare in impedimento dirimente valeat, prorsus non sufficere causam quamcumque rationabilem talem, ex qua juxta dicenda § seq. Papa, vel etiam episcopus vi privilegii dispensare potest, et solet pro foro externo, sed omnino requiri causam gravem, seu magnam necessitatem.

49. *III. Requiritur urgens necessitas, ita ut ratione illius non possit haberi, vel expectari dispensatio Romæ.* — Quæritur III. An? et qualiter requiratur urgens necessitas? Resp. Ut dispensare valeat episcopus pro foro interno, non sufficit sola magna necessitas, nisi etiam sit urgens, ita, ut ratione illius nullus, vel difficillimus recursus ad Papam, aut alium privilegio dispensandi præditum, v. g. nuntium apostolicum pateat; vel periculum sit in mora, Sanchez, *de Matrim.*,

cit. lib. II, disp. 40, n. 2 et 6; Bosco, loc. cit., n. 141; Barbosa, *de Offic. et potest. episc. Allegat.* 35, n. 3, cum communi aliorum. Ratio est; quia quando adest quidem una ex dictis n. 47. gravis causa, vel necessitas, si tamen pro tempore non urget, sed bene patitur moram, donec a pontifice dispensatio veniat, simulque pateat facilis aditus ad pontificem saltem per litteras, nulla adest causa, vel necessitas, quod dispense episcopus, consequenter cessat ratio, ob quam ei competit potestas dispensandi; ut bene observat cum aliis Bosco, loc. cit.

50. *Vel ab alio specialem facultatem dispensandi habente.* — Idem videtur, quando est facilis recursus ad nuntium apostolicum, vel alium præditum speciali privilegio aut potestate dispensandi in causa impedimenti. Vega, lib. VI, sum. casu 143; Barbosa, *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 35, n. 10; Navarrus, in *Manual.* cap. XXII, n. 83; Perez, Tambur. Gobath, in *Theolog. Experiment.* tr. IX, n. 581. et alii communiter contra Henriquez, lib. XII, *de Matrim.* cap. XXIII, n. 1. Ratio est eadem, quæ in priori num. quia revera in tali casu nulla est necessitas, quod episcopus dispense. Hinc licet Barbosa, et Diana vocent sententiam Henriquez probabilem; tamen quia agitur de sacramenti valore, qui a dispensatione, hæc vero a facultate dependent, in praxi non videtur secuta, postquam Innocentius XI, damnavit sententiam: « esse licitum sequi probabilem, relicta tutiori, quando agitur de valore sacramenti. »

51. *Præterea paupertas ordinarie non facit, quominus facilis pateat aditus Romam, vel ad alium facultate præditum: Et quare?* — Cæterum notandum hic cum Aversa apud Bosco, disp. 12, Concl. 3, n. 143, quod, licet doctores communiter causam urgentem adesse dicant, quando conjux impedimentum Patiens, ob inopiam seu paupertatem ad papam, vel nuntium apostolicum confugere, aut dispensationem inde obtinere non potest; tamen ex solo hoc paupertatis titulo raro, aut nunquam necessitas urgens consurgat; eo quod ad procurandam Romam, vel a nuntio apostolico dispensationem pro solo foro interno, super occulto impedimento prorsus nullæ expensæ requirantur: siquidem sacra pœnitentiaria (apud quam Romæ dispensatio pro foro interno sollicitari debet juxta dicenda infra) pro dispensatione prorsus nihil prætere, nec sponte oblatum

accipere potest. Nec opus est, ut conjux ipse se Romam conferat, et itineris expensas faciat, cum totum negotium unica epistola absolvi queat, quam quivis confessarius ex charitate libenter gratis scribit, et Romam dirigit, indeque dispensationem sibi missam pœnitenti consignat, juxta praxin infra docendam, ut proin ad summum non nisi pro posta, cui litteræ committuntur, facere oporteat expensas, quæ tam magnæ non sunt, quin eas etiam pauper saltem mendicando, breviter, et faciliter habere valeat; imo etiam hæc sæpe non sunt necessariae, si nempe ipsimet confessarii pro pœnitentibus scribunt, et dispensationem procurant, prout ordinarie fit, et fieri debet juxta dicenda infra.

52. *Pro dispensatione quoad forum internum nullæ requiruntur expensæ.* — Hinc etiam inutilis ad propositum videtur quæstio illa, quam plures doctores faciunt: An in casu, quo impedimentum habentes media non habent ad solvendas expensas necessarias pro dispensatione, illas subministrare teneatur episcopus, eo, quod juxta primum dicta, ad impetrandam dispensationem super impedimento occulto pro solo foro interno nullæ sint necessariae expensæ. Aliud est si procuratur pro foro externo, de quo infra. Unde videntur doctores paupertatem pro urgente necessitate allegantes, confundere dispensationem, quæ fit pro solo foro interno, cum ea, quæ fit etiam pro foro externo. Et hæc pro praxi notare oportuit.

53. *Causæ urgentes quales esse censeantur?* — Si quæras, quænam ergo reddant necessitatem urgentem? Resp. ea, de quibus diximus in conclusione n. 47. Videlicet I. Si nullus, vel difficillimus patet aditus ad summum pontificem, prout contingere potest tempore schismatis, aut belli, quo etiam litteræ ad sedem Romanam impediuntur; item ubi nimia est locorum distantia qualis tamen esse non videtur inter Germaniam, Galliam, et Hispaniam ex una, et omanam curiam ex altera parte.) II. Si gravis causa et necessitas secum habeat in mora periculum gravis damni, aut præjudicii, ut si unus conjugum in articulo vel periculo mortis existens liberos habeat, qui illegitime hæreditati succederent etc. donec dispensatio Roma, vel a nuntio apostolico veniat.

54. *Inter illas in specie est periculum incontinentiæ?* — III. Si periculum incontinentiæ ex dilatione dispensationis rationabiliter ti-

metur; prout ordinarie timendum, præsertim si conjuges adhuc sunt juvenes, vel singularis affectus, et amor mutuus inter eos viget; inter tales enim pauci tantæ virtutis inveniuntur, ut de eis prudenter præsumi possit, quod per spatium plurium hebdomadarum sine periculo incontinentiæ, quoad lascivos tactus, morosam delectationem, vel ipsam copulam sint cohabitaturi, postquam diu et frequenter carnaliter jam fuere permixti; etiamsi ambo impedimenti sint conscii: nam si una tantum pars notitiam impedimenti habet, præter incontinentiæ periculum, etiam famæ, vel alterius mali periculum ex dilatione emergit, consequenter necessitatem adhuc magis urgentem efficit: ut proin tam confessarii, quam episcopi ad hoc reflectere, atque ex illo urgentem necessitatem ordinarie adesse prudenter præsumere, ac propterea (si etiam reliquæ conditiones necessario requisitæ adsint) dispensare pro foro interno debeant episcopi.

55. *Quod quidem ordinarie, non tamen semper adest.* — Dicitur autem notanter ordinarie, quia non negamus, quin nonnunquam, et extraordinarie dentur casus, ubi absque omni incontinentiæ periculo dispensatio Roma exspectari potest, v. g. si ambo conjuges timentes Deum, et impedimenti sunt conscii, præcipue: carnali commixtioni alias non multum sunt dediti, tales enim si debite iustruntur, quod sub peccato mortali ab omni delectatione, tactu, et copula carnali abstinere debeant, donec dispensatio inter paucas septimanas Roma veniat, debitam abstinentiam illico et libenter promittent, eamque teste experientia servabunt; præsertim si a confessario moneantur, ut, si periculum interea fore putent, fideliter nunc referant, quatenus alia via eis succurri queat.

56. Pariter periculum incontinentiæ abesse censetur, quando solus vir impedimenti conscius, et continere se potens, ratione status vel conditionis suæ, discessum aliquem ad tempus pro impetranda Roma dispensatione necessarium, facile instituere potest, vel feminam ita modestam habeat, ut nec debitum petere, nec tactus lascivos exercere, vel ad illos allicere soleat. In his itaque ac similibus casibus episcopus a dispensatione utique abstinere, et oratores ad pontificem dirigere, vel potius, ut illuc confugiant, confessarius consulere debet; quantumvis alias magna et gravis causa dispen-

sandi, et necessitas adsit, ita ut sine scandalo, vel præjudicio prolium jam existentium separari nequeant; quia licet ex his habeatur sufficiens et gravis causa, imo necessitas dispensandi, tamen non habetur urgens necessitas, ut episcopus dispense. Doctus lector non indignetur, quod hæc tam simpliciter et proluxe adducantur ac declarentur, quia etiam pro minus doctis, minusque in jure expertis scribimus: Quibus ut hæc utpote summe practica materia ad facilem captum bene explicetur, et declaretur, utile et necessarium est.

57. *IV. Requiritur, ut matrimonium (si jam contractum est) sit contractum bona fide.* — Quæritur IV. An? et qualiter requiratur, ut conjuges putativi matrimonium (si prius jam contractum est) contraxerint bona fide, et præmissis denuntiationibus? Resp. I. Ut episcopus pro foro conscientiæ dispensare valeat, necessario insuper requiritur, quod matrimonium (si jam contractum est) contractum sit bona fide, id est, cum probabili ignorantia obsistentis impedimenti. Sanchez, lib. II, disp. 40, n. 4; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, concl. 3, n. 148 et seqq.; Engel, *de Matrim. contra Interdict. Eccles. contract.* n. 11; Ledesma, Lopez, et alii. Ratio est; quia illi, qui mala fide contrahunt, a jure indigni declarantur dispensatione, arg. c. fin. *de Immunitat. Ecclesiast. et Concil. Trident.* sess. 24, *de Reformat. Matrim.* cap. v, ubi expresse ita decernitur: « Si quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumperit, separatur, et spe dispensationis careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum contrahere, sed consummare ausus fuerit. » Consequenter, cum episcopi potestas dispensandi præcipue innitatur tacito et præsumpto consensui pontificis, non potest exerceri contra expressam ejusdem mentem; quia juxta tritum illud: « Præsumptio cedit veritati. » L. *Imperatores. ff. de Probat.*

58. *Quando dicatur mala fide contractum.* — Notandum tamen hic cum Sanchez, loc. cit.; Bosco, loc. cit., n. 164, ad hoc, ut quis ad propositum dicatur mala fide contrahere, non esse satis scire, et esse memorem, se prius carnaliter jam fuisse commixtum cum consanguinea, v. g. persona illius, cui modo vult nubere, sed requiri etiam scientiam et notitiam juris, seu practica, id est, talem, qua scit, inde ortum esse impedimentum

contrahendi matrimonium cum ea, cum qua nunc vult contrahere. Ratio est; quia ut quis spe dispensationis carere debeat, concilium Tridentinum expresse requirit, quod quis inter gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit; nequit autem dici scienter inter prohibitos gradus contrahere, qui ignorat gradum prohibitum inter se et sponsam adesse; ergo. Nec refert, si sit ignorantia crassa; siquidem quando lex aut decretum petit aliquid fieri scienter (prout fit in proposito) excusat quavis ignorantia quantumvis crassa; dummodo adsit dolus, ut post Sylvestrum, *ŷ. Ignorantia*, q. 8, dub. 4; Bart. in l. *Si adulterium*, prin. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. et alibi bene advertit Sanchez, loc. cit.

59. *Non sufficit mala fides unius.* — Porro non sufficit unam partem contraxisse vere mala fide, sed requiritur mala fides utriusque ad hoc, ut juxta præfatam dispositionem juris indigni reputentur dispensatione. Hinc si una saltem pars ignara impedimenti bona fide matrimonium contraxit, poterit episcopus (si cætera requisita adsint) cum utraque parte dispensare. Sanchez, loc. cit., nu. 4; Engel, h. t., nu. 11, et alii. Ratio est; quia ista dispensationis incapacitas statuta fuit in pœnam contrahentium mala fide, ibi: « eisdem subjiciatur pœnis; in pœnis autem benignior est interpretatio facienda, » c. *In pœnis de Reg. jur.* in 6. Nam « odia restringi, et favores ampliari, » c. *Odia*, eod. Accedit, « æquum non est, puniri innocentem ob alterius culpam, » arg. c. *Non debet*, eod. in 6, ibi: « Non debet aliquis alterius prægraviari. »

60. *Requiritur insuper, ut præmissæ sint denuntiationes.* — Resp. II. Ut episcopus dispensare pro foro conscientie valeat, necessario etiam requiritur, ut præter bonam fidem matrimonium (si jam contractum est) sit contractum in facie Ecclesie præmissis denuntiationibus. Sanchez, *de Matrim.*, lib. II, disp. 40, nu. 4; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, nu. 149, arg. c. *Cum inhibito de Clandest.* *Despons.*, ubi pontifex rationem apponit; cum taliter contrahentes (id est sine denuntiationibus, aut clandestine) non expertes scientie, vel saltem affectatores ignorantie videantur. Adhuc clarius *Concil. Trident.* cit. sess. 24. *de Reform. matrim.* cap. v, ibi: « Quod si ignoranter id fecerit; si quidem solemnitates requisitas in matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. » Ra-

tionem adjungit: « Non enim est dignus, qui Ecclesie benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempserit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, et gratis dispensare poterit. »

61. *Nisi dispensatum fuerit super istis.* — Notandum tamen cum Sanchez, loc. cit., memoratam pœnam contrahentes non afficere, si denuntiationes de licentia vel dispensatione episcopi omittant; quia tunc dici non possunt, præcepta Ecclesie neglexisse, vel temere contempsisse, prout tamen ad pœnam hanc incurrendam concilium Tridentinum requirit.

Cæterum dicitur in utraque conclusione nu. 57. et n. 60. posita: « si jam contractum est matrimonium, » idque ob sequentem quæstionem. Nam.

62. *In valde extraordinario casu potest episcopus super occulto impedimento ante matrimonium dispensare.* — Quæritur V. An semper etiam necessario requiratur, ut matrimonium in facie Ecclesie actu jam sit contractum? Resp. quamvis ad hoc, ut episcopus in foro conscientie super occulto impedimento dispensare valeat, ordinarie requiratur, ut matrimonium in facie Ecclesie bona fide saltem unius actu jam sit contractum, tamen si urgentissima necessitas adesset (quæ non nisi rarissime contingere potest) etiam ante matrimonium contractum dispensare valeretur. Sanchez, *de Matrim.*, lib. II, disp. 40, num. 8, quem sequuntur Pontius, *de Matrim.*, lib. VIII, cap. 1, nu. 6; Bosco, *de Matrim.*, disp. 12, sect. 13, concl. 3, a num. 165; Barbosa, *de Offic. et potest. Episc.* allegat. 35, nu. 5; Gobath, in *Theolog. experiment.*, tr. IX, num. 58; Palao, Reginaldus, Bonacina, Perez, Diana, Tamburinus, Dicastillo, Hurtado, et alii. Prima pars conclusionis ex eo patet, quia super impedimento etiam occulto nunquam dispensare potest episcopus, nisi adsit necessitasurgens, per dicta supra num. 49. atque vix, aut non nisi rarissime contingit casus in quo necessitas ita urgeat, ut matrimonium non possit differri, donec dispensatio Roma veniat; præsertim cum deficientibus aliis differendi causis, et prætextibus, conscius impedimenti facile possit instituere aliquam peregrinationem, vel simulare (non mentiri) aliquam infirmitatem.

63. *Narratur talis casus.* — Altera vero pars licet varie, et fuse a doctoribus citatis probetur, optima tamen videtur probatio, quod rationes supra allatæ n. 15. pro dispensatione post matrimonium militent etiam pro dispensatione ante matrimonium in urgentissimo casu, sicuti consideranti patet in casu, quem ponit Sanchez, loc. cit.; Barbosa, et alii: a g. Desponsati aliqui certum diem jam determinarunt ad solemniter celebrandas nuptias, ad quas omnia etiam jam parata, hospites invitati, vestes nuptiales confectæ, et reliqua omnia ita præparata sunt, ut de nuptiis nemo amplius dubitet: pridie autem sponsus vel sponsa sacramentalem confessionem deponens, primum rescit, quod labore occulto impedimento dirimente: affinitatis v. g. contractæ perfecta copula carnali prius cum sorore sponsæ habita: in tali casu, si consideratis prudenter considerandis non apparet, quod aliqua via matrimonium sine periculo infamie, scandali, aut maxime confusionis differri potest (prout ordinarie fieri posse non videtur) episcopo ob rationes supra n. 15, allatas, potestatem in foro interno dispensandi omnino competere citati, et communiter alii fatentur doctores quidquid in contrarium dicat Fagnanus in c. *Nimis de Filiis Presbyt.*

64. *Id etiam procedit in voto.* — Idem a fortiori dicendum, et episcopo potestas dispensandi attribuenda est, si in tali casu sponsus, vel sponsa primum rescit, votum castitatis perpetuum, quod habet, esse impedimentum impediens matrimonium, prout dictum est lib. III, tit. XXXIV, n. 38.

65. *Episcopus concurrentibus conditionibus requisitis potest super quovis impedimento occulto dispensare, super quo potest, et solet Papa dispensare.* — Quæritur VI. An concurrentibus n. 15, allegatis, et præsentibus § declaratis conditionibus possit episcopus super quovis impedimento occulto dispensare pro foro conscientie? Resp. Potest super quovis et solo, super quo potest, et solet dispensare Papa. Engel, lib. IV, tit. XVI, n. 11, et alii. Quod possit super quovis: ratio est; quia de quovis tali militant rationes, et argumenta supra nu. 15, allegata. Quod autem possit super solo: patet, quia nulla ratione præsumi potest, pontificem dare episcopis consensum ad dispensandum super aliquo impedimento, super quo etiam pro foro conscientie per sacram pœnitentiarum ipse dispensare non solet. Nec scitur alicubi vi-

gere consuetudinem tribuentem episcopo potestatem dispensandi super impedimento aliquo, super quo non solet dispensare Papa: consequenter nulla ratione competere videtur episcopo talis potestas.

Notandum tamen, quod licet sine aliqua impedimenta, super quibus potest, et non solet Papa dispensare pro foro externo, tamen vix sit aliquod, in quo potest, et non soleat dispensare Papa pro foro interno per sacram pœnitentiarum, cum per hanc dispensare soleat etiam in primo lineæ rectæ gradu affinitatis contractæ ex copula illicita, v. g. cum matre uxoris suæ; consequenter cum episcopus concurrentibus conditionibus possit juxta dicta, in quo potest, et solet Papa, vixerit aliquod impedimentum, super quo existentibus requisitis conditionibus non possit episcopus dispensare, si super illo dispensare valet Papa.

66. *Hæ conditiones non requiruntur, quando vi privilegii dispensati.* — Quæritur VII. An hactenus recensitæ conditiones requirantur etiam ad dispensandum super impedimentis, super quibus dispensare episcopus valet ex privilegio. Resp. negative. Omnes. Ratio est: quia ad dispensandum super his sufficit quævis rationabilis causa, o^u quam licite potest, et solet dispensare Papa juxta dicta infra nu. 68. et n. 144. Quænam autem sint causæ rationabiles, ob quas solet Papa dispensare, dicitur § seq. per totum.

§ III.

DE CAUSIS, OB QUAS VALIDE, AC LICITE PONTIFEX, NUNTIUS, ET EPISCOPUS DISPENSARE POSSUNT, ET SOLENT.

67. *Ratio continuationis.* — Cum ex dictis supra num. 5 constet, dispensationem a quocunque fiat, semper illicitam, et sæpe etiam invalidam esse, si absque justa causa fiat, utpote tunc dissipatio potius, quam dispensatio vocanda, merito tunc indagatur de justis dispensandi causis, postquam in præcedentibus jam satis dictum est, quibus dispensandi potestas competat.

Notandum tamen prius, quod, uti ex rubrica, § 1, liquet, hic principaliter agamus de causis, intuitu quarum pontifex jure ordinario, atque ad pontificis imitationem, nuntii vel episcopi ex privilegio vel facultate sibi specialiter concessa, in foro etiam externo dispensare possunt, et solent. Qualliter enim, et ex qua causa jure ordinario